



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *URBIS*

(TEMPLUM B. MARIAE VIRG. DE MERCEDE

ET S. HADRIANI MARTYRIS) *TEMPLUM B. MARIAE VIRG. DE MERCEDE ET S. HADRIANI
MARTYRIS

AD VILLAM « ALBANI » AD DIACONIAE HONOREM

ATQUE DIGNITATEM EVEHITUR. Hac nostra aetate auctis fere in immensum negotiis quae huic Apostolicae Sedi gerenda sunt, iisque cotidie mole gliscentibus, cum visum sit numerum etiam Patrum Cardinalium augere, quibus incertis in rebus, in ambiguis, in obscuris Romani Pontifices aut utantur amicis et consiliariis, aut, si dioecesium gubernationem illi susceperunt, voluntatum, laborum, sollicitudinum suarum socios coniunctissimos habeant, hanc ob causam etiam Tituli numero augeantur oportet, qui Purpuratis Patribus attribui solent. Sunt autem hi templa opere nobilissima, religione sanctissima in Urbe exstantia. Quibus profecto, in hac rerum necessitate, egregium S. Mariae de Mercede templum accensere visum est et S. Hadriani Martyris ad Villam « Albani ». Fuit hoc quidem die primo mensis martii, anno millesimo nongentesimo quinquagesimo octavo consecratum, in eoque eius paroeciae ilico sedes posita est, quam anno millesimo nongentesimo tricesimo secundo per constitutionem « In Salaria » Pius XI P. M. in sacra aede B. M. V. Perdolentis constituerat atque Argentinae Nationi attribuerat. Idem autem templum curis concreditum est Sodalium Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum, quorum diligentia et floruit et floret. Neque praetereundum est sacrae huic aedi additum esse nomen S. Hadriani Martyris, idque eo profecto consilio ut posteritatis memoriae basilica traderetur ipsius S. Hadriani, ab Honorio I in Curia Senatus exstructa et ab Hadriano I Papa Diaconiae titulo ac dignitate ornata. Quae cum ita sint, re bene reputata, templum *B. M. V. de Mercede atque S. Hadriani Martyris ad Villam « Albani » in Diaconiarum ordinem* redigimus, datis iuribus, delatis honoribus, quae sunt propria harum sacrarum aedium. Rectorem autem templi docemus suum esse non solum in cleri populique notitiam has Litteras Nostras perferre, proximo die festo de praecepto, statim ac acceperit, sed etiam documentum actae executionis harum Litterarum exarare atque sincero exemplo ad Sacram Congregationem Consistorialem quam cito mittere. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere

poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo mensis iunii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus Nostri quarto.*

| | |
|--|---|
| <p><i>Pro S. R. E. Cancellarius</i> HAMLETUS I. Card. CICOGNANI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i></p> | <p>CAROLUS Card. CONFALONIERI <i>S. Congr. Consist. pro-Praefectus</i></p> |
|--|---|

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Ioannes Calleri, Protonot. Apost.

Eugenius Sevi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 15, pp. 937-938 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana